



2.

Vum de *Officio sive Beneficiis Spiritus S.* dicitur  
sint bini nostri discipuli, deq; ipso quoq; *Spiritu*  
*S. ejus nempè essentiâ & personâ sæpius \** hacte-  
nus à me dictum fuerit, non abs re fore puto,  
si impræsentiarum ipsam vocem *Spiritus pro-*  
lixius aliquanto ( quantum quidem hic permiserit quaternio)  
**excussero & explanavero, idq; juxta ductum orthodoxi cuius-**  
**dam (cum hujsmodi enim, ob causas ronjæc conjecturandas,**  
libenter loqui soleo) Theologi, qui in hoc sæculo plurimis do-  
ctissimis Viris, inter etiam illos, qui in religionis negotio à no-  
bis absentiunt, inclaruit & celeberrimus habitus fuit. Neque  
tamen omnia hujus vocis significata afferre est animus, sed ea  
duntaxat, quæ sensu Theologico seu sacro velificantur, quod & i-  
psum in principio monitum omnino oportuit.

Sumitur ergo & accipitur *Spiritus pro Spiritus S. effectis*  
atq; *operibus.* Atq; sic salutis nostræ organum, coeleste puta  
*Evangelij Christi verbum*, dicitur *Spiritus* per Metonymiam,  
quam ita nominant Rethores, personæ efficientis pro re effecta.  
Est enim *Spiritus Dei* autor *Evangelij*, & per illud peculiariter  
efficax est ad salutem. Idque nobis sequens Apostoli dictum  
confirmat de se suisq; synergis scribentis II. Cor. III, 6: *Deus nos*  
*idoneos fecit (ιδίωσε)* ministros novi Testamenti, ministros, in-  
quam, non literæ, sed spiritus: nam litera occidit, *Spiritus autem*  
vivificat. Heic sanè εξωπάστης αμφισβητούσεως certum est atq; a-  
pertum, ipso quoq; textu indicante, per literam intelligi legem  
divinam: quamvis enim hæc viam salutis ac vitæ ostendat & in-  
culcat, tamen sine *Spiritu S.* corda nostra lapidea conterente,  
hominem, qualis ex se est, relinquat, atq; sic peccatum non tan-  
tum

\*Programm, IV. ann. 1643: XIII, 1645: LI, 1653: LXXII, 1656:  
XXC, 1657: XCIII, 1658: CV, 1659: CXIX, 1660: CXXXIX, 1661:  
CLIIX, 1662: CLXIX, 1663: CCXI, 1666: CCXXXIX, 1668:  
CCCVI, 1673,